

QK. 532, 31.

(KA882532)

B.M. II 115

In
111

Q. D. B. V.
Specimen
OBSERVATIONUM
HISTORICO-CRITICARUM

Permissu
INCLUTÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ

IN ILLUSTRI ACADEMIA JENENSI

Ad diem Januar. A.C. M DC LXXIV.
publicè defendent

P RÆSES


M. Io. CHRISTIANUS HETZERUS,
LIPSIENSIS,


R E S P O N D E N S

JOHANNES HEMERLINGIUS,
HUXARIENSIS.

H. L. Q. C.

Typis Joh. Jacobi Bauböferi.





VIRO

*Magnifico, Nobilissimo atque Consultissimo
DN. JO. SCHILTERO,
Philos. & I. U. Doctori celeberrimo, Consiliario
de Aula Saxonico - Jenensi egrégie
merenti,*

**Domino ac Patrono suo hono-
ratisimo.**

Et tua & mea interest, VIR MAGNIFICE,
ut sub initium harum Observationum si-
gnificem , unde natæ sint. Et tua quidem,
ut publicè sciatur, Tibi in primis deberi, si quid iis-
dem historiarum Studiosis gratificor ; mea verò,
ut causam moræ hinc intelligas, quam hactenus
interposui, quin ad quæstionem tuam de CRUCIS
JUDICIO, nostræ Disquirentium Societati haut ita
pridem propositam, Tibi pro eo, ut debui, respon-
derim. Scilicet susceperam in me laudatæ Socie-
tatis rogatu scribendi negotium , cumque non
satisfacerent mihi, quæ subindè inveneram de di-
cto argumento parcè tradita, plura me inventu-
rum sperabam, si ipsam Karoli M. filiique succes-
soris Ludovici Pii historiam, quorsum pertinere

Ju-

JUDICIUM CRUCIS videbam , percurrerem. Quæc
quicquid habere vetustissimorum Germanorum
Scriptorum poteram , pervolutabam, sedulò in-
vestigans, numquid alicubi extaret, quò aut ple-
niùs aperiri involutæ rei notitia posset, aut mini-
mum nonnihil ornamenti accedere texendæ e-
pistolæ. Neque me prorsus fefellit spes mea. Nam
quanquam ultra ea , quæ in promptu jam habe-
bam, nihil reperi, quod ad rem ipsam faciat; ra-
tiones tamen quasdam observasse in illa mihi le-
ctione videor, suo etiam in epistola loco afferen-
das, quibus rejici Constitutio Carolina, quam ci-
tasti, ut & illa, quæ Ludovico Pio tribuitur, in qua
similiter Crucis Judicii fit mentio, tanquam sup-
posititiæ debeant. Ceterum , quoniam præter
hanc utilitatem aliam illa mihi lectio offerebat.
quando nimirum in ejusmodi aliqua loca inci-
debam, in quibus aut verè erraverunt Scriptores,
aut errasse saltem videri alicui possunt, nolebam
illa prætermittere, quod & exercendo ingenio
materiā præbitura, nec ingrata Tibi fore, quippe
patriæ historiæ amantissimo Viro, judicabam, si
præsertim post explicatum Crucis Judicium ea
paulo diligentius annotarem, tibique legenda si-
tterem. Hoc enim consilium fuisse mihi initio,
illi norunt, quibus ratio studiorum meorum per-
specta est. Exinde tamen, cum, quam publicè di-
sputandi copiam petieram, ab incluta hujus Aca-

demiæ Facultate Philosophica impetrassem facile, deque maturando instituto sub idem tempus admonerer, quo Tibi parabam respondere, mutavi sententiam, facereque epistolam tantisper distuli, dum in disputationis vicem observatorum istorum partem elaborasse. Malebam autem vel aliqua tantum illorum ventilanda in cathedra, quam quodvis aliud argumentum sumere, quod & digna mihi eruditorum examine videbantur esse, & præterea etiam excusare respondendi tarditatem, quam defugere commode non poteram, quam optimè apud Te possent. Quamobrem accipe, VIR MAGNIFICE, pagellas has pauculas, atque ita eas accipe, ut & alia atque nunc exhibent, absque Te fuisset, exhibutas credas, & simul consideres, quam non mea voluntate fiat, ut quod πάρεγγον debebat esse, τῷ ἐργῳ antevertat. Qvod reliquum est, oro Te, PATRONE OPTIME, summum illum tuum favorem perpetues, quem nayasti mihi hactenus. Vale.

Nobiliss. Tuæ Magnificentiae

Scrib. Jenæ d. 20. Januar.

A. 1674.

perpetuus cultor

M. Io. CHRISTIANUS HETZERUS,
Lipsiensis.

deutius

3) :





Q.D.B.V.

OBSERVATIONUM HISTORICO-CRITICARUM

CAPUT I.

Thonis Frisingensis de tripartita Ludovici Pii divisione regnorum inter tres filios narratio. In illa re- cte posita. Othonis lapsus. Due Lu- dovici uxores. Tres ex Irmingarda filii. Ex Juditha filius unicus. Factæ partitionis tem- pus. Bernhardus luminibus orbatus. Ca- rolus, ex juditha filius, pro Pipino, fratre con- sanguineo, positus. De Gotfrido Viterbien- si conjectura. Ejus furtum. Laus fac. Thomasii. Frisingensis chronicorum per- vetustus codex msc. membranaceus. Laus Joh. Andr. Bosii. Paternæ ditionis partem Pipino obtigisse. Ejus rei triplex testimo- nium allatum.

A

Dicit

Dicit inter alia Frisingensis Ecclesiæ Præsul, Otho lib. V Chronicor. cap. XXXIII de Ludovico Pio: *Imperator generalem curiam Aquisgrani celebrans, primogenitur suum Lotharium imperii solum legit. nam alios duos Carolum & Ludovicum Reges vocatos, unum Aquitaniæ, aliud Bajoariæ præfecerat.* Largior in hac narratione eruditissimo sui temporis Viro, habuisse Imperatorem illorum nominum filios: largior item primogenitum Ejus fuisse Lotharium: tandem & illud largior, tripartito divisisse sua regna Patrem in synodo quadam Aquisgranensi. Ea enim consentanea historiæ illorum temporum reperio. Carolus autem quomodo pertinere ad divisionem illam possit, ego quidem certè hactenus non video. Imò manifestus memoriæ lapsus est, sicut ostendam. Ludovicus, pius cognomento, duas uxores habuit, alteram Irmgardam, nobilissimi sive Ducis sive Comitis Nigrammi, vel ut alii scribunt Ingorammi filiam, quæ V. Non. Octobr. ann. Chr. DCCCXVIII obiit; alteram juditham VVelfi (alii Huelpi & Guelphi scribunt) Ducis an Comitis filiam, quam anno post prioris mortem proximò in matrimonium duxit. Ex illâ suscepisse Imperatorem tres tantum filios, Lotharium, Pipinum & Ludovicum historia memorat; ex hac unicum tantum, Carolum, calvum dictum. Jam verò certum est, vel ipso Othoni indicato capite id asserente, factam partitionem fuisse, antequam Iæsæ majestatis reo Bernhardo lufina eruerentur. Hoc autem sub initium anni Chr. DCCCXVIII contigit, quô tempore prior Ludovici uxori nondum erat mortua, atque adeò nequedum Carolus natus.

Quare

Quare haud temerè fortasse dixerim, Othoni, Pipinum ponere volenti, posterioris conjugii filium venisse in mentem. Tenuit hæc hallucinatio, nisi conjectura me fallit, etiam Gotfridum Viterbiensem suspensum, utpote quem nulla alia de causa, ubi ejusdem partitionis meminit, solò Lothariō nominatō, reliquos Ludovici ex Irmgarda filios reticuisse opinor, quām quia Othonem inspiciens nescivit, quem Carolum is intellexerit. Verba Viterbiensis ex Chronicor. part. XVII appono: *Imperator poste à Aquisgrani Lotharium, filium suum, socium imperii legit. Alios filios duos, Reges vocatos, unum Aquitanie, alterum Bavariae præfecit.* ex quibus hoc amplius lectori apparet, non inspectum solum Othonem hōc loco à Viterbiensi fuisse, sed transcriptum; præsertim si quis alia Compilatoris hujus loca plurima cum Othonianis conferat, unde ipse ego, furtum ejus his diebus, eoque dignum eum esse perspexi, qui plagiiorum catalogo inseratur, quem excellens Vir ingenii & in varia doctrina prorsus admirabilis, idemque magnus meus fautor, JACOBUS THOMASIUS, in eruditissimâ disertatione de plagio literario non ita pridem adornavit. Neque enim Frisingensis, quos vidi, impressi codices tantum, constanter habent *Carolum*, sed & in manuscriptis constanter ita legi, ex aliquo membranaceo æstimabilis vetustatis & Auctoris ætatem propè, ut videatur, attingentis conjicio, quem pro summa benevolentia, quā erga me est & mecum promptissimè communicat, quicquid præstantium librorum possidet, inspicendum mihi dedit: πάντα BOSIUS. Ut ita neque mendi suspicione aut typographos aut librarios onerare, neque

de reliquo putare debeamus, aliam atque nunc habemus lectionem Viterbiensis usurpatum exemplum fortassis exhibuisse. nisi quis vulgatam in illo extitisse ex allata conjectura malit colligere. Ceterum ne quid hic omittam, quod desiderari saltem a quibusdam possit, trium idoneorum Auctorum testimonia subnecto, e quibus videre est, Pipino ditionis paternae partem obvenisse. Anonymus in vita Hludovici Pii: Nam his ritè ordinatis, postquam Imperator in eodem placito, filium primogenitum, Lotharium Imperatorem appellari & esse voluit, & duorum filiorum suorum Pipinum in Aquitaniam, Ludovicum in Bajoariam misit, ut scilicet sciret populus, cuius deberet potestati parere, statim ei Abodritorum defectio nuntiatur. Ni-thardus lib. I: Quò pactò filios suos justo matrimonio junxit (Ludovicus Pius,) & universum imperium inter eos ita divisit, ut Pippinus quidem Aquitaniam, Loduvicus autem Bajoariam, Lotharius vero post discessum ejus universum imperium haberet, cui & una secum Imperatoris nomen habere concescit. Ado Viennensis: Huic piissimo Imperatori ex Hermengarde regina tres filii, quorum primogenitum Chlotharium, primò Cæarem, deinde consortem imperii ascribit. cui & Italiam ad regendum commisit: at Pippinum Aquitaniæ regem facit: tertium Ludovicum Bajouariis regem constituit. Plura non addo.

CAPUT II.

ARnulphi Metensis Genealogia. Laus Petri Pithæi. Carolus, Caroli M. filius, pro Pipino, germano fratre, ab Arnulpho per

per errorem positus. Quatuor omnino legitimi Caroli M. filii. Omnes ex una uxore Hildegarda. In illis gemelli. Eginhardus & Theganus notati. Nomina gemellorum. Dictorum filiorum conjugium. Carolus, filius, annus mortuus. A silentio Eginhardi argumentatio. Silentium idem aliunde confirmatum. Argumentum invalidum Huldrichi Mutii. Bernhardus, Pipini filius. Ejus nepotes. Eginhardo, Mutio & Arnulpho à Reginone lux. Arnulphum in liberis Caroli M. unum duntaxat Pipinum numerasse, verisimile. Legitimi Pipini mater. Naturalis Pipini mater. Hujus gibbus & conjuratio contra patrem. Conjurationis causa. Fastrada Caroli M. conjux. Incertum, legitimum an naturalem Pipinum significet Arnulphus. Idem ex uno errore in alium delapsus. Gibbosus Pipinus, annus. Eventus conjurationis. Legitimi Pipini obitus. Conjurationis tempus. H. Mutii querimonia.

Similem detecto errorem alitum in Arnulphi, Metensis Episcopi, Genealogia offendō, quam ex antiqua membrana Mediomatricum Ecclesiæ descriptam posteritati reliquit PETRUS PITHOEUS, is, cui tot alia

vetusta monumenta debemus, quæ in crassissimis tenebris, absque illo fuisset, maximam partem, opinor, adhuc sepulta jacerent. Verba Genealogiæ ita fluunt: *Karolus Imperator genuit Pippinum, Charolum, Lodouicum Pium Imperatorem, Hugonem & Dodonem Episcopum. Charolus filius Karoli Imperatoris genuit Berhardum. Berhardus Pippinum. Pippinus Berhardum, Herbertum & Pippinum.* In quibus itidem Carolus, at Caroli M. filius, pro Pippino, at germano fratre, perperam ponitur. Dictis fidem conciliabo. Quatuor omnino legitimos filios Carolum M. habuisse comperio, quos omnes ei una Hildgardis peperit, Carolum, Pipinum, (Carolomannum, ut Lambertus Schafnaburgensis & Marianus Scotus id observant, antè vocatum, quām Romæ nomen illud in baptimate ab Adriano Papa acciperet), aliosque gemellos filios; quorum alter lucem, in quam editus erat, diu non tulit, alter reliquis etiam fratribus vivacior à patre in consortium imperii adscitus est. Ille ab Arnulpho &, quod valdè miror, etiam ab Eginhardo & Thegano omissus, Clotarius à Paulo Warnefrido in Libro de Metensis Ecclesiæ Episcopis appellatur, cui cur fidem derogem, causam non invenio; hic est ingenitus nominis Imperator Ludovicus, pius dictus. Pipinum & Ludovicum juniores filios in conjugio fuisse certum est, Carolum maximum natu non item. Quem tamen minimum nullos liberos se patre decedentem orbasse firmissime mihi videor conjicere posse ex silentio Eginhardi, qui, posteaquam Caroli M. sobolem omnem enumeraverat, dicturus, quot liberi ante patrem naturæ satisfecerint, ita pergit: *Ex iis omnibus (liberis) duos*

duos tantum filios & unam filiam, prius quam moreretur, amisi (Imperator.) CAROLUM, qui major natu erat, & PI-
PINUM, quem regem Italiae præfecerat, & ROTHRUDIM,
quæ filiarum ejus primogenita & Constantino, Græcorum Impe-
ratori, despensata erat. Quorum Pipinus unum filium suum,
Bernhartum, filias autem quinque, Adelhaidem, Atalam, Gun-
dradam ; Bertha idem ac Thedradam superstites reliquit. In
quibus verbis Eginhardus Pipini quidem orbos recitat,
alterius autem demortui filii nullos. Quos afferendi
occasione non credo circumspectissimum Scripto-
rem prætermissurum fuisse, si quidem habuisset Ca-
rolus. Eginhardo Huldrichum Mutium subjun-
go, quem quamvis veritatis avidissimum omnis
Germanorum Scriptorum turba meliora edocere ne-
quivit. Nam eundem in sensum lib. VIII Chro-
nicor. post adscriptum Caroli M. Testamentum de
divisione regni inter tres filios, unde quam lubricò
argumento Mutius tres tantum legitimos filios Impe-
ratorem habuisse colligat, non solum ex allatis liquet,
sed & alibi propediem aliunde à me ostendetur, ita lo-
quitur: *Quoniam autem duo filii, Pipinus & Carolus, immatu-
râ morte abrepti sunt, quorum alter, nempe Pipinus, quinque
filias & unum filium Bernardum ex se genitos reliquit, Carolus
senex mutat necessariò testamentum.* Videlicet similiter nul-
lis Caroli orbis commemoratis. Quibus si quis imbu-
tus suprà dictæ Genealogiæ contextum diligenter ex-
pendet, ei lucide apparebit, Carolum pro Pipino per erro-
rem ab Arnulpho scriptum. Huc accedit, quod, quem
filium Pipini fuisse Eginhardus atque Mutius referunt,
sit ille ipse Bernhardus, à quo Pipinus secundum Arnul-
phum

phum oriundus est, aliis Bernhardi, Herberti & aliis Pipini genitor. Id quod planum faciam Reginone teste, Abbatे Prumiensi, qui lib. 2 Chronic. ad A. C. 818 *Bernhardus, inquit, filius Pipini, Rex Italiae Aquis evocatus ad Imperatorem (Ludovicum Pium) dolo capitur, & primò oculis, post vitâ privatur.* *Habuit autem iste Bernhardus filium nomine Pipinum, qui tres liberos genuit, Bernhardum, Pipinum & Heribertum.* Cui alios adderem, quos aliquam multos habeo rem eandem non æquè plenè quidem, sed ita tamen tradentes, ut illorum testimoniis corroborari dicta possint, nisi jamnunc satis manifestus erroris Arnulphus esset. Qui præterea nescivit, ut appareat, Carolum M. jam ante initium cum Hildegarda connubium, atque ita, etiam antequam ei nasceretur, legitimus filius, Pipinus, alium ejus nominis naturalem ex Himmeltruda habuisse. animo pariter atque corpore pravum. nam præterquam quod gibbo deformem fuisse Eginhardus scribit, eundem etiam, spe regni sibi à Primoribus Francorum factâ, qui degenerare Imperatorem, Fastradâ (Regino Fastradanam appellat) mariatum efferante, quotidiè magis magisque à perenni sua contestataque mansuetudine indignè ferebant, contra patrem conjurasse idem memoriae prodidit. Unius enim duntaxat Pipini meminit Episcopus, ubi filios Caroli M. recenset. Nisi quis per memoratum malit gibbosum intelligere, quia Carolo, inter legitimos filios maximo natu, præponitur, adeoque dicere, alterum potius ignoratum ab illo fuisse. Verum, quicquid hujus sit, illud inde admodum proclive cogitatu est, quam facillimè Arnulphum uno tantum Pipino positō delabi in alium

alium errorem potuisse. Sive enim gibbosum Pipinum indicare voluit, eum oportuit Carolum facere Bernhardi patrem, postquam exploratum habuit Bernhardum non esse Ludovici filium. nam gibbosus Pipinus nusquam perhibetur liberos habuisse. Sive alterum, quem Italiae Regem Regino nominat, significavit, ex eventu conjurationis cognito, quam non omnes antiqui scriptores distinctè annotant, facile, ut idem ficeret, adduci potuit. Quippe mox proditâ conjuratione attensus spurius, inque monasterium detrusus, religiosæ vitæ usque ad mortem vacasse legitur. Quæ si ad legitimum Imperatoris filium spectare male putavit Episcopus, annorum computatione simul adhibitâ, nihil alienum à vero scribere minimum sibi visus est, quando, incertus, Pipino Carolo proles tribuenda, à Carolo genitum Bernhardum scripsit. Legitimus enim Pipinus anno ætatis suæ XXXIII, post Christi nativitatem DCCCX denatus est. Unde omnino sequitur, conjurationem, quæ ann. Chr. DCCXCII facta est, incidere in quintum decimum ejus annum, quō illum nemo temerè liberos procreasse affirmaverit. Hæc ita mihi videntur. Aliis integrum esto dissentire, quin etiam sentire alia, si qua rectius poterunt. Quanquam fore nonnullos arbitror, qui prorsus de nihilo non esse conjecturam judicabunt, ubi legerint, quod Mutius ante suprà citata verba scribit: *Est magna controversia, qui ex uxoribus, quiq[ue] ex concubinis Carolo (Magno) nati sint. Dissensioni causam dedit uxorum concubinarumq[ue], quas multas habuit, & ex illis prolis diversitas.* vid. lib. 8. Chronicor.

CAP. III.

P. *Pithæi Opera. Ejus Genealogia Comitum Campaniae & Brigeji gallicè scripta. Ejusdem dubitatio de Arnulphiano errore. Verba quedam Genealogia Pithæana. Eorum versio. Bernhardum Spurium injustè appellanti Thegano fidem habuisse Pithæum. Duplicis istius faceti causa. Thegani verba. Ejus audacia. Quid facere Theganus rumori debuerit, si quis fuit de Bernhardo. Quid reapse fecerit. Videri eum à se ipso scripsisse. Ejus pietatem in nefandum facinus definere. Conficta esse, quæ de impuris Bernhardi natalibus is prodit. Varietas successionis in imperio Francorum. Difficultas circa eam. Theodicum naturalem Clodovei filium admissum à legitimis filiis ad sortitionem provinciarum fuisse. Quid unicuique horum obvenerit. Brunechildem nequicquam potuisse Sigebertum spurium, pronepotem suum, regno Austrasiæ præficere. Dagoberti, Chlotharij II filij, desiderium habenda proliis. Naturalem ejus ex Ragnetrude filium vix*

vix trimum in Austrasiam missum pōst eti-
am confirmatum in regno fuisse, ubi natus
uxore justā Clodoveus Regi fuit. Clodovei
hujus portio. Sejuncta in imperio Franco-
rum à Dignitate Potestas. Ultimos Mero-
vingorum legitimè natos fuisse. Carolus
Martellus à natalium probro vindicatus.
A consuetudine argumentatio. Exclusos
ævō Caroli M. spuriōs à paternis ditionibus
fuisse. Allati in eam rem ipsius Caroli M.
spurij. Illorum nomina. Arnulphus nota-
tus. Eginhardus explicatus & illustratus.
A silentio Eginhardi argumentatio. Egin-
hardus iterum explicatus. Pithœus no-
tatus.

Vix dum in chartam conjecteram, quæ discutiendo
Arnulphiano errori apta mihi visa sunt, cum in
manibus habens PETRI PITHOEI Opera, sicut ea
studiosè collegit Labbæus, Carolus, illustrique viro
jac. Angusto Thuano inscripta Lutetiæ Parisiorum
annō 1609 in lucem edidit, inter evolvendum fortè
conspicio ejusdem laudatissimi Pithœi Genealogiam
Comitum Tricasium & Meldorum, sive Campaniæ
& Brigeji, gallicè conscriptam, quam commentario
gallico dictorum Comitum annexuit: in quâ eundem

errorem quanquam non nihil dubitanter annotat. Nam quod ego *αναιρισθητως* statui, id ille tantum minus abesse à vero autumat, quasi Carolus æquè atque Pipinus frater filium, Bernhardum appellatum, habuerit. Quamobrem ne quid dissimulem, aut laudes alienas injustè intercipiam, verba ipsa doctissimi viri huc exscribam & quidem hoc libenter, quò commodiorem in illis occasionem nanciscor vindicandi à natalium macula sæpiùs memoratum Bernhardum. Sic verò infit: *Heribert ou Herbert, que la pluspart de nos Historiens intitulent Comte de Vermandois, fut fils d' Heribert sieur de Peronne & S. Quentin, qui tua Raoul Comte de Cambray, & peu apres fut tué par les gens de Bauldouin le Chauve Comte de Flandres & frere de Raoul environ l'an 902. lequel Heribert estoit frere de Pepin & de Bernard ou Berhard, tous enfans de Pepin, fils d'un autre Bernard, que la genealogie de S. Arnoul de Mets fait fils de Charles fils ainé de Charlemagne: mais Regino (plus uray - semblablement ce me semble) le prend pour Bernard, qui eut les yeux creuez & mourut l'an 818. lequel estoit fils de Pepin Roy d'Italie, né de concubina ge, comme dit Theganus.* Quæ verba ut ponderari ab omnibus possint, ita verto: *Heribertus sive Herbertus, quem Historicorum nostrorum plerique Comitis Vermandorum titulo insigniunt, filius fuit Heriberti, Domini Peronne & S. Quintini, qui peremit Radulphum Cameraci Comitem, & paulo post ipse occisus est per satellites Balduini Calvi, Flandriæ Comitis & fratris Radulphi circiter annum 902. qui Heribertus frater erat Pipini & Bernardi sive Berhardi, quo rum fratribus omnium pater Pipinus fuit, filius aliis Bernardi,*
quem

quem genealogia S. Arnulphi Metensis filium Caroli facit, maximi natu è Caroli M. filii: verùm Regino (majore verispecie, ut mihi videtur,) illum interpretatur Bernardum, qui exoculatus & mortuus est anno 818. qui Pipini Italiæ Regis filius erat ex concubinatu ortus, ut dicit Theganus. Nimirum verisimiliora tantum esse arbitratur Pithœus, quæ Regino tradit, quam quæ Arnulphus; ego verò rejeci Arnulphiana, quippe prorsus falsa, geminō submixus argumentō, quod an everti ullâ ratione possit, arbitrium penes gnaros sit. Sed ad Bernhardum, quem concubinā natum Theganus prodit, Pithœus credit. uterque malè. ille rumori, aut, si mavisi, fervori suo nimium indulgens; hic scriptoris vetustate deceptus. Ulbi priusquam afferam, quæ dicere in contrariam partem habeo, Theganum ipsum audiamus. Ipsò eodemque anno Bernhardus, filius Pippini, & ex concubina natus, per exhortationem malorum hominum extollens se adversus patruum suum, voluit eum à regno expellere, habebatque impios consiliarios hinc inde. Hæc Theganus cap. XXII fui operis de gestis Ludovici Pij, satis, ut puto, impudenter, certè audacter satis. Etenim tametsi aut supprimere, aut confutare improbisimum rumorem, si quidem fuit, Chorépiscopus poterat, tamen id contrâ egit, ut nec ignoraretur unquam, & incertos etiam imagine veritatis falleret; sin à se ipso scripsit, (quod quin credam, parum abest. neque enim præter Theganum quisquam scriptorum veterum idem tradidit.) videri quidem fortasse quibusdam pius in Imperatorem esse voluisse potest; sed

B 3

quoniam

quoniam ita pietatem suam præsttit, ut illustrissimam Carolinam Familiam simul inquinaverit, facinus profectò commisit nullò modò excusandum. Enimvero crassum mendacium esse demonstrabo, quod scribit de Bernhardo Theganus, undecunque tandem fluxerit. Variasse in Francorum imperio successionem progenio seculi observo; quanquam difficile sit definire tempora, quibus licuerit è pellicibus natis paternarum ditionum hæreditatem adire. Theodoricus certè, naturalis Clodovei filius, non repulsus à sortitione provinciarum post mortem Patris est, sed ut legitimis ejus filiis singulis singula regna obvenerunt, (obvenerunt autem Clodomiro Aurelia, Clothario Suesiones, Childeberto Parisij,) ita spurius pace omnium Austrasiam cum imperio obtinuit. vid Aimoin.de gest. Francor. lib. 2. cap. 1. Quod tamen beneficium tanquam neglectum diu, Chilperici filiò Clothariò II rerum potiente, prorsus exolevisse ex eodem Aimoino patet, lib. 4. cap. 1. narrante, quām malè Brunechildi cesserit, quod Sigebertum, primogenitum Theodorici, sui ex Childeberto filio nepotis, spurium, Austrasiæ regno præficere conata sit. Mox usurpata rursum vetus consuetudo est, cum successit Chlothario II. Dagobertus filius, qui desiderio habendæ prolis, repudiata Gomatrude reginâ sterili, sibi non tantùm Nantildem in matrimonium junxit, sed & hâc spem suam retardante Ragnetrudem insuper adscivit, & suscep-
tum ex ea filium, Sigebertum, vix trimum in Austrasiæ misit, cumque eo tutores duos Chunibertum,

Campa-

Campaniæ præfulem, & Adalgisum, palatiū magistrum, imperandi causâ. In quo assignato regno spurius pōst etiam, suadentibus Francis, confirmatus est, ubi Clodoveus ex Nantilde natus Dagoberto fuit: quem legitimū filium contentum idcircò esse oportuit Neustriæ & Burgundiæ regnis & restitutō Denteleni ducatu, sicut itidem ex Aimoino disco. vid. lib. 4. cap. 19. 20. & 27. De ultimis Merovingorum temporibus ita pronunciandum est, ut à dignitate sejungatur potestas. Hæc enim penes Magistros palatiū fuit, seu Domū Majores, uti vulgò vocantur; illa Regibus nuda manuit. Ac Reges quidem ipsos justis conjugibus editos certum est, inter domū Majores verò Carolus Martellus à recentioribus quidem pro spurio habetur; quoniam autem Scriptorum vetustissimi quiue uxoris nomine matrem ejus Alpaidem appellant, summam injuriam fieri celeberrimo Principi arbitror, si quis contaminare ejus manes cum auctoribus mendacij perget. Sequitur Carolingorum Familia, in qua infra Carolum M. descendere hōc locō nihil attinet, quandoquidem quæ illo imperante ratio succedendi viguit, eam ipsam ad nostrum Bernhardum etiam spe-
tare, quivis, opinor, facile concessurus est. At verò illis temporibus sedulò cavebatur, ne, qui concubinis nati erant, participes paternarum ditionum fierent: quemadmodum in ipsis Caroli M. spuriis, (quorum duos tantùm, Hugonem &, qui Drogo alias vocatur, Dodonem, in adductis suprà pag. 6. verbis, omisso præter gibbosum Pipinum etiam Theodericō,

Arnul-

Arnulphus recitat,) id videre est, utpote quos omnes Imperator prorsus in sortitione regnorum neglexit, unicō suō legitimō filiō, Ludovicō, hærede scriptō. Unde consentaneum est, non pasfuruin Carolum avum fuisse, ut Bernhardus in paternum regnum succederet, si quidem concubinā natus fuisset. Neque obstat pietatis documentum, quod eō ipsō dedisse Avus ab Eginhardo scribitur. Id enim huc aðeò non pertinet, ut hoc putem dicere voluisse Eginhardum: potuisse Imperatorem aut Ludovico successori assignare demortui sui filij regnum, aut dare quidem nepoti, sed sine summa potestate; concessisse id autem ei, luculentō pietatis exemplō, similiter atque Pipino ejus Patri, cum plenissimis majestatis juribus. Imò credo hanc mentem Eginhardi fuisse, quando in opere Thegani cap. XII lego, venisse post Avi sui mortem Bernhardum ad patruum suum, Ludovicum, & tradidisse *semetipsum ei ad procerem & fidelitatem ei cum iuramento promisisse.* Addo alterum argumentum, quod ex Eginhardi silentio sumo, quem verisimile non est celare posteritatem voluisse de Pipini illicitis amori- bus, quoniam enumerare Imperatoris sui nothos non est veritus. Quapropter sicuti legitimū filium scriptor nominasse dicendus est, quō locō Pipini unicū filium, Bernhardum, nominavit; ita in confessō nunc esse arbitror, causam invenire quām facillimē Pithœum potuisse, cur in citando Thegano mendacium notaret.

CAP.

CAP. IV.

LAUS JO. ANDREÆ BOFIJ. INSTITUTI RATIO
CIRCA HAS QUALESCUNQUE OBSERVATIONES.
DAVIDIS BLONDELKI GENEALOGIA FRANCI-
CA. COLLOCATUM EJUS IN DEFENDENDO BERN-
HARDÒ STUDIUM. HOC CUR EXPENDI MEREAT-
TUR. BLONDELLIANORUM ARGUMENTORUM SCO-
PUS. BERTA, LEGITIMA PIPINI UXOR. EJUS PA-
TER. CAROLI M. DE BERNHARDO CURA. BERN-
HARDI TUTORES. ADALHARDUS ANPIBODIXAUQ.
WALONIS AUCTORITAS. ALCUINI AD PIPINUM
EPISTOLA. HUJUS QUADAM VERBA EXPLICATA.
EXCUSARI À BLONDELLO THEGANUM. BERTAM
CONTRA JUS CANONICUM PIPINO NUPSIFFE. LO-
CUS THEGANI À BLONDELLO TENTATUS. DUPLEX
DEFENDENDI ALICUJUS NATALES RATIO. QUOUS-
QUE BLONDELLIANA ARGUMENTA VALEANT. TE-
STIMONIA BLONDELLUM, QUOD MATER BERNHAR-
DI BERTA FUERIT, HABERE NULLA. HUNC DEFEN-
DUM CHRONOLOGIA VIRUM SUPPLERE VOLUISSE
VIDERI. BERTA NUPTIA. BERNHARDI NATALIS.
CHRONOLOGIA BLONDELLI QUID REVERA PROBET.
QUI VALERE EXPEDITÈ QUADAM BLONDELLI AR-
GUMENTA POSSINT. ASJENSUS ILLI DATUS, EX-
CUSAN-

C



*cusandum esse Theganum. Morosi circa
Principum conjugia rigoris exempla. Blon-
delli emendatio rejecta. Rejectionis causa.
Tabula genealogica.*

Finiveram caput tertium, jamque cogitationes alias versabam animô, cum imponi mihi necessitatem commodùm audiebam veniendi ad Jo. ANDREAM BO-
SIUM, Virum omni elogiô majorem, qui quod stu-
diis meis summè favet, in eo non tam glorior, quam
singularem divini Numinis providentiam agnosco.
Apud quem honoratissimum meum Fautorem cum
adessem, significassemque in sermonibus, esse me nunc
in eô, ut in certa capita redigerem, quæ in Scripto-
ribus quibusdam perperam aut verè posita aut ponî
visa, præbitâ haut ita pridem occasione, observave-
ram, mentione simul Thegani injectâ & cur præter
rem mihi videretur labem Bernhardo aspersisse, eâ-
dem is benevolentia, quâ diebus aliquot antè inspi-
ciendum mihi membranaceum suum Othonem dede-
rat, è locuplete suo penu promebat DAVIDIS BLON-
DELLI Catalaunensis Genealogiam Francicam ple-
nius assertam, inque illius posteriore tomo pag. 199
& seqq. locum mihi indicabat, ubi contra Jo. Jacobum
Chiffletum eandem Bernhardi causam agit Vir do-
ctissimus. Quapropter, cum aliæ ejus rationes sint,
ac ego adhibui, atque is prætereà etiam liberare culpâ
**Theganum conetur, non ingratum opinor curiosis
harum**

harum rerum fuerit, si tanquam in compendium collectis, quæ prolixius Blondellus disserit, liberius eloquar, quid ponderis unumquodq; habeat. Primum autem iniquè facere ostendit, qui spurium fuisse Bernhardum putant. Quô locô argumenta omnia eò spectant, ut Berta, quâ natum Bernhardum dicit, legitima Pipini uxor habeatur. Nimirum fuisse eam affert Guillelmi Tolosæ Comitis & Aquitanorum Ducas filiam, atque adeò cognatam Pipini, quam non verisimile sit extra conjugij fidem sui copiam fecisse. Porrò, si concubina fuisse Berta, ejus filio Bernhardo neque Avum concessurum paternum regnum, neque Adalhardum Walonemque Adalhardi germanum in tutela adfuturos fuisse, quorum ille seculum antehac relinquere, quâm Caroli Patruelis sui cum Hildegarde conjugium, quod vivente repudiata Desiderii, Langobardorum Regis, filiâ inierat, probare maluerat; hic verò omnibus, qui erant in palatio Imperatoris venerabiliores, praelatus est. Postremò, extare epistolam, in qua Alcuinus Pipino optat, ut lætetur cum muliere adolescentiæ suæ, utque in longam nepotum posteritatem procedat benedictio à Deo ei data: per quam uti ex necessitate soboles intelligitur, ita absurdum esse fingere, de amicæ contubernio gratulatum Magistrum Discipulo fuisse, concubinamque adolescentiæ mulierem appellasse. Deinde intempestivæ cuidam morositati imputat, quod ex concubina natum Theganus Bernhardum scripsit. Videlicet tertio gradu propinquam Pipino Bertam fuisse.

C 2

Igitur

Igitur salvis canonibus non potuisse illos connubio jungi. Nupsisse tamen Pipino Bertam. Id verò matrimonium ut tanquam illegitimum ipsòque jure nullum displicuisse sibi testaretur, locum id improbandi nactum Chor episcopum concubinam Bernhardi matrem nimis morosè appellasse. Hæc postquam hunc in senium disseruit Blondellus, Thegani tandem verba, tanquam si omnī culpâ liberari forte posse, pro & legendo ut ita emendat: *ipsō eodem que anno Bernhardus, filius Pipini, ut ex concubina natus, per exhortationem malorum hominum extollens se aduersus patruum suum, voluit &c.* ut ita comparare Bernhardum Scriptor cum Pipino gibboso, spurio, voluisse intelligatur, quorum hic aduersus Patrem, ille aduersus Patruum nefanda molitus erat. Compendium eorum feci, quæ Blondellus habet. Nunc quando pollicitus sum me dicendum etiam, quæ in illis quoisque valeant, ante omnia moneo, in defendendis alicujus natalibus referre quidem nihil, de nato an de matre colligas; quoniam verò, qui de matre colligit, eum demonstrare etiam oportet, matrem eam esse non aliam nati, patet, quod argumenta Blondelliana tūm demum in hac ratione probandi valitura sint, si adducta testimonia fuerint, matrem Bernhardi fuisse Bertam: qualia neque ipse Blondellus affert, neque ego afferre pro illō habeo. Quamobrem, fuerit Berta legitima conjux, quid hoc ad illos, qui temerè non credent, natum eā Bernhardum fuisse: Hærebunt autem, opinor, omnes, qui Blondellum ipsum legent, defectum testimoniorum

rum chronologiâ, ut appareat, supplere volentem, quando nihil aliud ex illa (duo autem sunt, quæ probabiliter in ea ostendit. alterum, Bertam Pipino A. C. 795 nupsisse; alterum, Bernhardi natalem in A. C. 797 incidere.) colligere poterunt, nisi, potuisse Bernhardum Bertæ filium fuisse. Quanquam hòc ipso stabiliri rem eam omnino non posse, haudquaquam dixerim. In altero verò probandi modo, quô ego sum usus, expeditissimè propulsabunt injuriam, quæ de cura Karoli M. deque Adalhardi Walonisque tutelâ Blondellus habet: de quibus illa jam suprà mihi argumento fuit. Ceterùm quod de excusando Thegano summoperè annititur Vir doctissimus, id ego adeò non improbo, ut nunc pariter atque ille, missâ omni malitiæ suspicione, Scriptorem putem, merò violatæ disciplinæ intuitu, concubinam appellasse. Quippe huc adducor à tribus exemplis, quibus is confirmat, valdè usitatum hunc rigorem Episcopis illius ævi fuisse. Quorum primum est Adalhardi Corbejensis Abbatis, Hildegardis cum Carolo Magno; alterum Friderici Ultrajectini, judithæ cum Ludovico Pio; tertium Gauzleni Parisiensis Episcopi, Adelhaidis cum Ludovico Balbo, conjugia illegitima judicantium. Emendationem tamen verborum Thegani est, cur rejiciam. Nam Ellipsis illa, quâ Nomen Pipini & subaudiri in verbis, *ut ex concubina natus*, oportet, nec à proximè præcedente Pipini vocabulo reperi commode per constructionem potest, durior profectò mihi esse videtur, quam pro ingenio Auctoris hujus. Ad-

C 3

mitte-

OBSERVATIONES

mitterem autem eam, si aut pro Bernhardo Pipinus esset
in textu positus, aut compararetur Bernhardus quidam
cum nostro Bernhardo. Sed manum de tabulâ, si-
mul atque suffixero Tabulam, quâ juvari benevolus
Lector in intelligendo hoc capite possit.

Carolus Martellus, Major domus, *Hrotrudis Maritus.*

Aldana,	Pipinus Rex,	Bernardus,
<i>Theodorici Co-</i>	<i>Berta maritus.</i>	
<i>mitis uxor.</i>		
<i>Guillelm, Dux,</i>	<i>Carol Magnus,</i>	<i>Adalhard,</i>
<i>Cunegundis</i>	<i>Hildegardis</i>	<i>Abbas,</i>
<i>maritus.</i>	<i>maritus.</i>	<i>Walo,</i>
		<i>Comes ac exinde</i>
		<i>Abbas,</i>
<i>Berta,</i>	<i>Pipin, Rex Italiæ,</i>	<i>Bernhardi Regis</i>
<i>Pipini Regis</i>	<i>Berta maritus.</i>	<i>tutores.</i>
<i>uxor.</i>		

AD DI-

AD DITAMENTA.

I.

DE Ungarorum origine hoc ferè prodit lib. i. annal. Witichindus Corbejensis: veneficij aliquando convictas quasdam mulieres in sylvam ab exercitu ejecisse Hunnorūm Ducem, quæ Mæoticis paludibus & mari cingitur. Eas conceptos jam antè fœtus procreasse ibi. Inde gentem validam factam. Hanc aliquot secula ferarum more in solitudine vixisse, ratam sibi soli occidere & redire soles. Denique à cerva fugiente inobservatum adhuc per paludes iter fortè edoctam in Pannoniā migrasse. Nobis fabula videtur.

II.

Putat Josephus Scaliger lib. i. Ausonianar. lection. cap. i. ditionem in inferiori Palatinatu Hundsrück vulgò appellatam dici quasi dorsum canis. Nos arbitramur dici quasi Hunnenring, id est, Hunnorūm præsidium.

III.

Ad legiones, quas à republicā acceperat, alias privatō sumtu addidit: unam etiam ex Transalpinis conscriptam, vocabulō quoque

quoque Gallico, (*Alauda enim appellabatur*) quam disciplinā cultuque Romano institutam & ornatam, postea universam civitate donavit. Hæc verba sunt Suetonij in Julio Cæsare cap. 24. in quibus pro, *Alauda enim appellabatur*, Matthias Berneggerus rescribit, *Alaudarum appellabatur*. Nos propter unicum Plinij locum lib. XI. N. H. cap. 37. non satis rem exputasse doctissimum virum putamus.

IV.

Facit Jacobus Casianus lib. 2. cap. 3. Inquisitionis jur. Reg. Brunechildem Childeberti uxorem. Nos ut matrem Childeberti fuisse suprà cap. III diximus, ita idem etiam nunc affirmamus.

V.

Sunt, qui ornatūs tantùm causā Ciceronem putant quasdam suarum epistolarum ita inchoāsse: *Ego vero vel, Mibi vero &c.* Nos respondendi vim præterea voces illas semper habere, probatum, ubi opus erit, dabimus.

VI.

Id autem (discrimen) inter Historiam esse & Annales concedimus, quod No-
ster

ster subjicit, nimirum quod inter animal & hominem, sive, ut in Scholis loquuntur Logorum filij, quod est inter genus & speciem, sic, ut omnes Annales sint Historie, non omnis Historia Annalium titulo veniat. Accedit his verbis Agellio suo Philippus Caroli animadvers. in Lib. 5. cap. 18. Nos cur idem non faciamus, habemus causas.

VII.

Definit Jo. Heinricus Boeclerus Historiam Universalem in dissert. de utilitate Histor.univers.hunc in modum: esse illam, quae res omnium et atum ac populorum, inde ab origine temporis, id est, ab orbe creato usque ad hanc nostram etatem, in Ecclesia & Republica, collectas sedulò, dispositas ordine, contextas prudenter, ad contemplandam Dei omnia regentis sapientiam & potentiam, hominumque ex consiliis operibusq; variè ordinatos eventus observandos, Deoque gloriam, Lectoribus artem vivendi comparandam, comprehendit & exhibet. Nos subscribimus.

VIII.

Negat Hugo Grotius in libro de antiquitate & statu Reipublicæ Batavicæ cap. 4. terras

GKTh III
terras Batavorum, in primis illas, quæ Hollandiæ nomine hodiè appellantur, in ditione Francorum fuisse. Nos affirmamus.

IX.

Quia, sicut dicit sanctus Gregorius, ex Consuetudine Olitana cognoscitis, in Francorum regno reges ex genere prodeunt, mihi à Domino & Genitore meo, pia memoria, Ludovico Augusto, pars regni inter fratres meos reges diuinâ dispositione estradata. His verbis incipit Proclamatio Caroli Calvi adversus Wenilonem. Verum, quid est *Consuetudo Olitana?* Nobis admodum fit verisimile antiquâ consuetudinem olitanâ significari, adjectivò ab olim formatò.

X.

Svvanhildis epitaphium, quod abhinc ducentis circiter annis repertum in agro Zvvcicavienſi est, patriæ ſue & antiquitatis amore, ut ipſe loquitur, tanquam genuinum Chronicō ſuo Citizeniſi inſeruit Paulus Langius, Monachus Bozavviensis. Nos pro ſuppoſitio habemus.



S. D. G.



Mag
DN.
Philos

Et t
ut p
ut go
ut pu
bli
dem h
ut ca
interpo
JUDICIO
pridem
derim.
tatis ro
satisfac
Eto arg
rum spe
foris Lu

341/200



sultissimo
E R O,
, Confiliario
grégie

hono-

AGNIFICE,
ationum si-
ua quidem,
ri, si quid iis-
r; mea verò,
am haetenus
n de CRUCIS
etati haut ita
ebui, respon-
udatae Socie-
umque non
heram de di-
me inventu-
iique succes-
um pertinere
Ju-